Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 2671

Quelle:
Copyright:

Silvius) *nomine pro archiepiſcopo Pragen.* (videlicet confirmando Joh. Rokyczana). *Hoc tempore viguit maxima pars communione calicis et fuerunt legati IIII^or magiſtri Vniuerſitatis Pragen. et duo Nobiliſſimi viri procopius de Rabſteyn Cancellarius Regis Et ſecundus koſtka Gjndrich.* (Pelzelio in Hiſt. Boh. Zdenko) *Hoc anno maxima ſtrages facta eſt a ſaracenis in chriſtianos in vngaria ſpecialiter circa Bielobrad.* (Belgradum) Huic Notae ſubjecit Poſſeſſor: *Perlegit wenceslaus Roſius iſta in anno 1542. tempore regis Ferdinandi biſpani. In quo Anno maxima Bella fuerunt contra Saracenos in vngaria, tempore eſtatis in wlaſſim plebanus, quando Saraceni terciam partem debellauerunt Vngarie.* Ad *fol.* item 79. ſequentia adnotavit: *Ferdinandus princeps Hiſpanus Rex Boemie Conuocacionem particularem fecit fieri vtriusque Speciei fideles, Aduerſarios eciam, et illud nulla cauſa erat, ſed multum Augmentum fecit deus his qui ſunt chriſti ſub utraque ſpecie. Quia multi generoſi et milites in vnum aſtricti ſunt et fideles facti promittentes legi Jeſu chriſti omnem Obedienciam Reuerenciam honoremque Sacerdotibus &c. Dominica prima poſt Sanctam Trinitatem. Aliud boni nil factum eſt. Hoc de Tempore Siliginis corus prage erat magis quam pro II Sexagenis ñn. Avena pro XL groſſ. ñn. Ordeum pro I Sexag. ñn. Triticum ut ſiliginis. Piſa pro LXXXV groſſ. 1531.*

II. *fol.* 321. manu, ut videtur, Sec. XIV. *Commentarius in L. I. Decretal. Gregorii* IX. initio et fine truncatus; non enim habet initium *Prooemii*, et in expoſitione verborum C. 1. *Qui ſua omnipotenti virtute* &c. deficit.

III. *fol.* 374. p. 2. *Caſus Epiſcopales* et *Papales* hoc ingreſſu: *Sciendum breuiter pro quibus culpis ſeu caſibus* &c.

DCCV.

Codex chartaceus lat. Sec. 762
XV. Folior. 244. 8. non una manu currente ſcriptus *Sermones* ſacros in Anni Dominicas continet, ducto a Die *Paſchatis* initio, hoc modo: *Non habeo panes laycos ad manum ſed tantum panem ſanctum* &c. I. *Reg.* 21. *Verba iſta dixit achimelech ſacerdos legalis ad dauidem* &c. In *Dominicam* XXIV. eſt ultimus *Sermonum*, qui cum gloſſis *Bohemicis* paſſim reſperſi ſint, tuto ad Bibliothecam *Wenc. Roſſii* ſaepenumero jam a nobis defloratam referentur.

DCCVI — XXIII.

Codices chartacei lat. boh. 594
germ. 4. e Schedis ut plurimum 611
Sec. XVI. varia manu ſcriptis congeſti, numero XVIII. olim ad *Wenceslaum Roſſium Preſſorovinum* Sacerdotem *Bohemum*, de quo ſaepius facta mentio, pertinentes praeter Sermones, Sermonum Themata, aliaque Collectanea Homiletica vix quidquam recenſione dignum offerunt, ideoque